



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dictamina Seu Scita Variæ Doctrinæ, Politicæ, Moralis,
Stoicæ, Christianæ, & Spiritualis**

Nieremberg, Juan Eusebio

Paderbornæ, 1711

Decas I.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50306](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50306)

sis Rationis. Ratione caret, qui amissim non sequitur. Est valor bonorum operum, quæ nihil appendunt nisi ab illo pondus accipiant. Est lapis lydius virtutis: adulterina est, quæ illius affrictu non se probârit. Non dico non despiciat, solùm non respiciat in Deum, jam vim virtutis amisit. Quæ solùm agit, quod Ratio probârit, non est nisi simpliciter bona. Illam dixerò eximiam, & auri instar vigesies quinquies repurgatam, quæ operatur uti cælestis: quæ à solâ charitate impellitur: quæ unum quærit in omnibus Dei beneplacitum.



Dictamina Spiritualia.

DECAS I.

Nemo querulus dixerit, se modicùm posse, atque ideo negligi operam suam. Multùm potest, qui potis est Deum impensè amare. Fac cætera tibi desint: hoc uno abunde valueris. Convenit sæpe, nihil posse agere, ut possis majora. Non semel otium, quod inutile credimus, rebus agendis maximè opportunum est.

Non

Non minùs quæstuosum Christo fuit tri-
cenne silentium, quo latuit, quàm trien-
ne studium, quo mundo patuit: æquè
meruit tam puer silendo, quàm dein vir
patièdo & prædicando.

2. aliquando indulgenda sit corpori
quies, princeps animi cura nunquam re-
mittenda est. Prima creati studia sint,
Creatori obsequi. Multùm egerit, qui
multùm amârit, aut cupierit multùm age-
re. Ubi vires impares sunt, facti gloriam
voluntas capit.

3. Non eget obsequiis tuis Deus: quid
igitur te angat, quòd nequeas plura? Si
ea Deus voluerit, absque opera tua factu-
rus est. In unico duntaxat socias à te ma-
nus requirit, ut rectè agas, ut virtuti stu-
deas.

4 Plerumque præstiterit sanctè mode-
rari affectionem aliquam, quàm si mille
cathedris virtutem doceas, aut multa
austeritate corpus affligas. Quæstiosa est
valetudinis jactura, si meritorum fœnore
compensetur.

5. Non studeas servire Deo, nisi velut
ipse præscripserit. Quodnam operæ pre-
tium

tium servus faciat, si quod agit hero displiceat? Nempe disgratiam meruerit inutili sudore.

6. Si Deus noluerit te magna præstare, satis est, si magna det pati. Si tollat per debilitatem corporis usum rigoris, quid dubitas sacrificio præpollere obsequium, & super omne asperitatum genus eminare voluntatem Dei nutibus addictam.

7. Noli viam tentare, quàm tibi Deus præcluserit. Consule moderatorem animæ tuæ, & ejus judicio te subde: alienis humeris obedientia te cœlo inferet. Cave nè inolitum vitium aut pravum affectum falso putes Dei suggerentis esse consilia.

8. Noli quærere Sanctimoniam genus, quàm quod Deo probatur. Exiguum id fuerit submissionis indicium, si te meliorem æstimes justo, quem Spiritus sanctus asseruit septies quot diebus offendere.

9. Lapsus ille infortunatus est, qui te præservat à majori. Multùm ex erratis proficies, si indè te ampliùs demiseris: expedit enim te in humilitate fundari; atque idcirco noli ambire sanctimoniam majorem, quàm tibi Numen præscripserit. Illud velis,

velis, quod ipse cupit, nimirum humilitate clarescere.

10. Adverte, quod Ecclesiastes monet: *Noli esse justus multum.* Inquietus eris, si studeas eâ ratione justus esse, ut nunquam erres, nulla tibi incuria excidat. Hujusmodi vota, curæq; immodicæ, ut ut speciem boni habeant, pacem auferunt, animique tranquillitatem: atque adeò inde quietem tollis, unde speras obtinere: inde inficeris, unde laboras purificari.

DECAS II.

11. De fructu suo nihil deperdit, quem ab orandi studio avocant negotia, dum hæc vel obsequendi lege, vel pia necessitate, vel promovendæ salutis alienæ causâ suscipiuntur. Non deficit meritum, dum Deo obsequaris.

12. Minùs obsunt contemplandi studio externa opera, quàm internæ passiones: quin ipsa agentis vitæ exercitia, si iis affligatur animus, plurimùm adjuvant studium divinorum. Mens enim per illa mortificata minora sentit impedimenta passionum.

13. Plus quærito Deum ipsum, quàm blandi-